MANTISSA
AD REFUTATIONEM
PISTOLÆ PASTORALIS
AMPLISSIMI
D. STEJARTII
/ICARIJ APOSTOLICI
SILVÆDUCENSIS.

REſponſum eſt, Ampliſſime Domine, ad Epiſtolam tuam Paſtoralem, quam Clero tuo ſcripſiſti de malis de quibus gloria-: *Vix ſiquidem vos iſta, laus ſuperis, attigerunt.* hibenda nunc quædam alia, quæ attingunt am maximè mirabilem tuam ſacris Canoni-s ac fortè Sedi Apoſtolicæ incognitam Diſci-nam, quâ Diœceſim Silvæducenſem tam-am Vicarius Apoſtolicus adminiſtras. Urget pauca adminiſtrationis hujus ſpecimina exhi-ıda honor imprimis Sedis Apoſtolicæ, qui n parum læditur per hujuſmodi adminiſtra-nem, quæ ejus nomine & vice à Vicario Apo-lico geritur. Urget ſcandalum Hæreticorum tuâ adminiſtratione, juſtiſſimo ut putant

 argu-

argumento, in Sedis Apoſtolicæ odium vilipendiumque acrius incenduntur. Urget amor Catholicorum & Diœceſis Silvæducenſis, quibus iſta adminiſtratio admodum nocet. Ut ergò ij ad quos ſpectat, remedia tantis malis, ſi placet, adferant, ſequentes articulos exhibeo.

ARTICULUS I.

AMpliſſimus D. Stejartius in concluſione ſua ad 42. articulos ait: *Infraſcripti ſacræ Theoogiæ Facultatis Lovanij Doctores ac Profeſſores Regentes atteſtantur ſe ex iis quæ in hac Univerſitate obſervant, quotidie magis ac magis percipere ſupra poſita dogmata, quà clam, quà palam ſerpere & circumferri, tradi & inculcari apud Scholæ Theologicæ Lovanienſis Alumnos, Authoribus Gummaro Huygens aliiſque illi Adhærentibus & Confœderatis, non ſine ingenti periculo infectionis, non ſolum dictæ Scholæ, ſed etiam Belgij totius per quod dicti Alumni ſparguntur. Datum Lovanij in Vigilia S. Martini anno* 1690. *Signatum erat* P. F. *Martinus Harney. Martinus Stejart.* Has accuſationes etſi adeò probare non potuerit, ut à quadraginta duabus ad duas redactus ſit: Etſi propterea Romanum aërem tantopere, ut ſuis tergiverſationibus manifeſtum fecit, perhorreſcat; tamen Theologos omnes quos cenſet Eximio D. Huygens adhærere [*qui hodie in Belgio & Galliis Janſeniſtarum vel Rigoriſtarum nomine vulgò audiunt*, ait in Epiſtola ad Illuſtriſſimum Cameracenſem] pergit

pergit durè tractare tamquam impactarum accuſationum reos, à quibus toti Belgio ingens infectionis periculum immineat. Mandat proinde executioni in Diœceſi Silvæducenſi conſilium, quod Illuſtriſſimo Cameracenſi in Epiſtola ſuggeſſerat: *Non minor adhibenda cura receptioni ad munia Eccleſiaſtica, ut ne admittantur ulli de exceſſu & novitate ſuſpecti.* Quales cenſet omnes quos judicat Eximio Domino adhærere, ſive quos Rigoriſtas vel rigidiora ſectantibus addictos vocat. Hos omnes, etſi pietate & ſcientiâ præſtantiſſimos aliiſque Epiſcopis gratiſſimos, tamen inauditos, ſine allegatione cauſæ, ſine ulla commiſeratione, viâ facti arcet ab Ordinibus, à Tonſura Clericali, à Beneficiis, à Miniſteriis ſacris, & quidem quaſi vice ac nomine Sedis Apoſtolicæ. Sæpius in eoſdem palam invehitur, & in Refectorio ſui Collegij coram centum & amplius alumnis poſt graviſſimas invectivas dixit: *Frendeant, cantent, ſibilent, rideant ruentis ſuæ factionis ruinam, ego in interitu ipſorum ridebo.* Dum interim alios quantumvis ineptos & vitæ ſcandaloſæ, dummodò ſibi & laxioribus faveant, ad ſacra omnia admittit, ut caſibus particularibus infra ulterius exhibetur. Quanta hinc in Diœceſi turbatio, Quanta obloquia, tum ab iis qui tam inclementer tractantur, tum ab eorum parentibus & amicis! Qualis hinc ſubditorum affectus erga Paſtorem ſuum Vicarium Apoſtolicum? Quæ ſcandala Hæreticis, quibus facilè de-

cem ex undecim partibus Diœceſeos ſubjiciuntur? Quæ ſtrages animarum? Quæ Fidei Eccleſiæque detrimenta? Quanta ex hoc Vicarij Apoſtolici proceſſu in Sedem Apoſtolicam invidia ignominiaque?

ARTICULUS II.

PRædicta paucis ex multis particularibus caſibus confirmantur, ac inprimis, ſic excepit Inſigniſſimum quemdam Theologum nomine Hollen ex Majoratu & Diœceſi Silvæducenſi, promotum in prima linea Concurſus Philoſophici, præſtanti pietate, morum integritate, ingenio & doctrinâ præditum, optimæ ſpei Eccleſiaſticum. Hic poſtquam quatuor annis Theologiæ & pietati operam dederat in Collegio Pontificio, ſe ſuo Vicario Apoſtolico ad ſacros Ordines præſentavit. Is cum difficultatem aliquam circa approbationem tituli moveret, rogaretque humillimè Theologus, cur difficultatem illam ſibi potius moveret quam alijs, reſpondit, ſe difficultatem ijs non movere quos intendit promovere, verum, inquit, etiam defunctus Mechlinienſis Archiepiſcopus non ſolebat promovere niſi quos ſciebat ſuæ eſſe ſententiæ. Benè capis quid velim dicere. Quarè ſuadeo tibi ut ad aliam transeas Diœceſim. Sic digniſſimum Theologum ſuum ſubditum, nullam aliam cauſam allegando, è ſua Diœceſi & Patria abjecit. Tranſivit itaque ad aliam

am Diœceſim, à cujus Archiepiſcopo ſummâ benignitate & affectu pro meritis fuit exceptus. Sed interea ſic Diœceſis Silvæducenſis privatur optimis Sacerdotibus. Sic infamantur à Vicario Apoſtolico, à Patre & Paſtore ſuo ſine ulla cauſa digniſſimi Theologi: Sic Parentes, ſic Agricolæ & tenuis fortunæ homines, poſtquam omnem ſuam ſubſtantiam & ſudores in ſtudia filiorum per decem aut duodecim annos exhausêre, remunerantur à Vicario Apoſtolico tot luctibus, quibus videre coguntur filios ſuos è Patria & Diœceſi iniquè pelli velut ineptos, indignos, reos, infames. Accedit ad cumulum doloris, quod hæc tantum rideant, inter quos vivunt, Hæretici, quantum lugent boni Catholici.

ARTICULUS III.

PEjus excepit, &excipit etiamnum Eruditiſſimum Dominum Cornelium Verſchuren Sacræ Theologiæ Licentiatum,& à pauco tempore Decanum Capituli S. Dimpnæ in Municipio Gelenſi, Sacerdotem, ſive pietatem, ſive ingenium & doctrinam ſpectes, quo nullum fortè habet Diœceſis Silvæ-ducenſis digniorem, fuit enim primus Academiæ Lovanienſis in celeberrimo Philoſophiæ concurſu. Deinde poſtquam quinque annis circiter in majori Theologorum Collegio Theologiæ operam dedit, evocatus eſt à Reverendiſſimo Abbate Vlierbacenſi, & Abbatiæ in Theologia Lec-

tor conſtitutus,quo munere tam laudabiliter functus eſt, ut inde eum Illuſtriſſimus Gandenſium Epiſcopus accerſiverit, & Seminarij ſui Lectorem conſtituerit, quod munus rurſus per quatuor annos ſedulò & commendatione Illuſtriſſimi dignus obivit, ut ex teſtimonio ejuſdem liquet. Hinc poſtquam Illuſtriſſimo pro oblato Paſtoratu gratias egerat, rediit in patriam, deindè à Paſtore Gemertano in Diœceſi Silvæducenſi, ut *ſibi* pauliſper in cura paſtorali aſſiſteret, exoratus, Ampliſſimum Vicarium Apoſtolicum acceſſit pro approbatione ad Confeſſiones excipiendas: D. Vicarius eum examinat: peracto examine promittit Approbationem, ſed prius ſibi ſcribendum eſſe ad Illuſtriſſimum Gandenſem. Aliquot diebus elapſis rurſus pro hac Approbatione rogatur Ampliſſimus, rurſus reſpondet ſe Approbationem miſſurum ſimul ac reſponſum Gandavo acceperit. Tandem poſt plures dies, & frequentes tergiverſationes, iterum pro hac Approbatione rogatur Ampliſſimus: jam, inquit, nolo te approbare, quia non adfers teſtimonium ab Epiſcopo Gandenſi, & quia hinc inde aliquid audio de te, & quia aliquid diſplicuit in examine: Protinus petit ſupplicans: Quid Amplitudo veſtra audivit? Quid diſplicuit? non teneor, ait, hoc tibi dicere. Imò verò, ait ſupplicans, Ampliſſimus Dominus eſt meus ſuperior, cujus eſt me corripere, ſi in aliquo ſim reprehenſibilis, non ſum enim incorrigibilis: At Ampliſſimus perſiſtit: nihil debeo tibi

bi dicere, dicam Superioribus meis, quando debebo; & ſufficienter te corripio, quando ſine approbatione dimitto.

Paucis poſt diebus mittitur ab Illuſtriſſimo Gandavenſium Epiſcopo ſubjunctum teſtimonium: *Albertus Dei & Apoſtolicæ Sedis Gratiâ Epiſcopus Gandavenſis. Omnibus has viſuris notum facimus & atteſtamur Dominum ac Magiſtrum Cornelium Verſchuren, Presbyterum Diœceſis Silvæducenſis per quatuor integros annos S. Theologiæ Profeſſorem egiſſe in Seminario noſtro, & toto illo tempore hujuſmodi functionem ſedulò adimpleviſſe, ſeq; ita geſſiſſe, ut à pietate, modeſtia, ſobrietate aliiſque virtutibus, quæ Virum Eccleſiaſticum decent, mereatur commendari, prout eum tenore præſentium commendamus. Datum Gandavi in Palatio noſtro Epiſcopali die 2. Octob. 1692.*

Hoc teſtimonium Frater ſupplicantis S. Theologiæ Licentiatus defert ad Ampliſſimum Dominum, rogatque ut legere dignetur, Sed reſpondet: nolo legere. Iterum rogat, placetne ut ego prælegam? Non volo, inquit, audire. Atque ita Ampliſſimus Dominus non ob alias rationes, præter illas, quæ exhibitæ ſunt Articulo primo digniſſimum Sacerdotem à Paſtore Gemertano pro neceſſario ſibi adjutorio præſentatum, poſt tot tergiverſationes repellit, poſtquam noverat eumdem ad excipiendas Confeſsiones ab Illuſtriſsimo Gandenſi fuiſſe approbatum: poſtquam ejuſdem Illuſtriſsimi teſtimonium ei fuit delatum, quod nec inſpicere, nec audire quidem voluit:

 poſtquam

poſtquam eumdem ad gradum licentiæ in Theologia non dudum antea examinaverat admiſeratque : poſtquam Decano Capituli Gelenſis nunc defuncto, præſente alio Canonico Sacerdote teſtatus eſt ſe examinaſſe pro Licentia Eruditiſſimum Dominum Verſchuren, & eum inveniſſe profundè doctum. Denique poſtquam eidem Domino Verſchuren obtulit ſuam menſam, & lectionem in ſuo Collegio pro formandis bonis Paſtoribus.

Poſt hæc omnia eumdem ab excipiendis Confeſſionibus cum infamia & indignatione bonorum omnium repellit ſine expreſſione cauſæ, ſed profitendo : ſufficienter te corripio, quando ſine approbatione dimitto. Judicet æquus rerum æſtimator an non cum ſumma injuria ?

ARTICULUS IV.

VErum nec hoc ſatis erat. Pauco poſt tempore vacat Canonicatus in Capitulo Gelenſi fundato à Majoribus Illuſtriſſimæ Familiæ de Merode. Ex hac Familia Duciſſa de Holſteyn tam ſpiritu quam ſanguine verè Celſiſſima pridem ultrò promiſerat prædicto Domino Verſchuren propter eminentia publicaque ejus merita primum Canonicatum vacaturum, itaque jam vacat per mortem Decani. Repetit Sua Celſitudo ſe velle implere promiſſum Domino Verſchuren, etiam priuſquam hic ſe præſentaverat. Urgetur

ab amicis Eruditiſſimus Dominus Verſchuren ut oblatum Canonicatum acceptet. Acquieſcit & Bruxellas tendit. Sed interea Ampliſſimus Dominus Stejartius magno zelo importunè non accerſitus accurrit ad Duciſſam de Holſteyn, ſudat, inſtat, rogat & quidem precibus armatis, ut alteri, nequaquam Domino Verſchuren, conferat Canonicatum: eſſe eum quidem Virum pium, & ſimplici Canonicatu dignum, ſed nequaquam Decanatu, qui eidem veriſimiliter adderetur, eſſe magnum Janſeniſtam Rigoriſtamque, ut latius ex hac declaratione patet, quam pro neceſſaria vexatæ oppreſſæque innocentiæ defenſione hîc ſubjungo:

Nous Iſabelle de Merode par la Grace de Dieu Ducheſſe de Sleſvvick, Holſteyn, &c. Marquiſe de VVeſterlo, &c.

DEclarons eſtre veritable, qu'à l'occaſion de la vacance d'une Prebende à Gele, qui eſtoit de noſtre Collation, Monſieur le Docteur Stejart Vicaire de Boiſleducque nous eſt venu voir & dire en ſubſtance, que le Sr. Corn. Verſchuren Licentié en Theologie eſtoit un homme pieux, & que pour eſtre ſimple Chanoine il avoit bien voulu recommander, mais point pour eſtre Doyen; puis qu'il ne voudroit point l'admettre à entendre les Confeſſions, parce qu'il ſeroit un grand

grand Janſeniſte ou Rigouriſte,& d'une opinion qui ſeroit reprouvé de l'Egliſe, Nous requerant neanmoins, qu'avant de conferer audit Verſchuren ladite Prebende de Gele, Nous avions voulu l'envoyer à ſon examination, pour prevenir les difficultez, qu'il auroit eu en aprés contre le meſme Verſchuren, en cas s'il auroit eſté éleu Doyen. En foy de quoy Nous avons ſigné cette, & y apposé le cachet de nos armes. A Bruxelles le 11. de Mars 1693.

I. M. Ducheſſe de Holſteyn &c.

En quouſque Ampliſſimum rapiat odium eorum quos vocat Rigoriſtas. Obſtupuit Duciſſa, ut eſt ſummi ingenij, miſerandos diſcurſus, ſophiſmata & contradictiones Doctoris Lovanienſis. Stetit Majorum ſuorum more invicta & nihil mota Ampliſſimi arietibus inſidiiſque contulit Canonicatum, ſuſpirante Stejartio, Eruditiſſimo Domino Verſchuren. Hunc deinde Canonici propter ſumma merita in Decanum legitimè elegerunt & ſuo jure in poſſeſſionem inſtituêrunt. Venit deinde Lovanium electus D. Decanus, & exhibitis litteris electionis petit ab Ampliſſimo Domino curam animarum, ſed implacabilis Dominus Vicarius hanc ei negare pergit, niſi denuò ſe ſubdat examini præcipuorum, ſuo quidem judicio, Academiæ Doctorum quos deſignabit: reſpondet D. Decanus electus per Notarium libenter ſeſe examini ſubmiſſurum, ſi D. Vicarius

ad

ad hoc deputare dignetur ſacram Theologiæ facultatem, cum ipſa præcipuis Doctoribus conſtet, rogavitque ut Vicarius dignaretur ad hæc reſpondere, reſpondit: ſe ad ſimiles propoſitiones & interrogationes nolle reſpondere; atque per hujuſmodi tergiverſationes Decano electo pernegat curam animarum cum ſummo detrimento Eccleſiæ ejuſdem, cum ingenti iujuria Celſiſſimorum Ducum de Holſteyn, cum indignatione & admiratione omnium, qui merita D. Decani norunt ſuſpiciuntque.

ARTICULUS V.

SIcut digniſſimos à miniſterio divino repellit, ſic quos ipſe cum ſuis Examinatoribus judicavit idoneos, admittit. Inſigne hujus ſpecimen præbuit in Theologo quodam Diœceſis Silvæduceníis. Hic poſt ſtudium Theologicum ſex annorum ſe præſentat Domino Vicario ad Subdiaconatum: Examinat eum cum tribus aliis Examinatoribus, & ex communi ſuffragio eum ſacrisOrdinibus judicant in perpetuum inidoneum, ut pluribus notum fecit Dominus Vicarius dicens: *Non ego ſolus, ſed alij mecum judicavimus illum incapacem in perpetuum ad ſuſcipiendos Ordines, unde numquam promovebitur, deeſt ipſi ingenium, petivimus inter alias hanc Quæſtionem: Explica hunc articulum ſedet ad dexteram Patris. Vel puer plus ſciret circa hunc articulum, quam ille Theologus. Diſſuadeatur*

tur illi ſtatus Clericalis, quia non eſt idoneus. Alius illi ſtatus proponatur. Pro amore Dei diſſuadeatur illi ſtatus Clericalis. Hæc contigerunt circa initium Septembris 1692. redit deinde Theologus in patriam tempore vacantiarum Autumnalium totus mœrens propter luctuoſum illud D. Vicarii & Examinatorum judicium, redit Lovanium poſt vacantias, ingreditur ex conſilio Domini Vicarij novum Seminarium Silvæducenſe: brevi poſt tempore à D. Vicario ad S. Subdiaconatus Ordinem admittitur, & modò ordinatus eſt, tamquam examinatus & idoneus repertus & futurus inter Hæreticos utilis Eccleſiæ Catholicæ miniſter: nimirum Theologus ille non erat addictus rigidiora ſectantibus.

ARTICULUS VI.

IN Parochia trium millium & ultra communicantium in Diœceſi Silvæducenſi vice-Paſtorem agit quidam Sacerdos admodum ſcandaloſæ vitæ. Sæpiſſimè cum ingenti ſcandalo hodiedum frequentat tabernas: Ex his ſæpiſſimè evocandus eſt, ut adminiſtret Sacramenta, ſive Extrema moribundis, ſive parvulis Baptiſmum. Ita ſe palam inebriat, ut in Octava Venerabilis anno 1691. laudes ſolemnes celebraverit planè ebrius cum inaudito ſcandalo: timebatur continuò cum Venerabili caſurus, deinde in Altari illud non loco ad hoc ordinato in medio Altaris, ſed ad latus in-

ter candelabra ponit non videns (pro pudor!) ubi poneret. Orationem, quam debebat cantare, pronuntiare non poterat. Ridebant parvuli, & ſtudioſi, ex quibus centum & plures aderant: tantum non flebant plures ex illius Communitatis præcipuis. Notum inſuper eſt, quid huic homini aliquando acciderit in Hollandia, quod aliquando inter pocula & in conſortiis narrat, ut per teſtimonia probari poteſt.

Præcedens ſcandalum & plura ſimilia iteratò denuntiata ſunt Domino Vicario Apoſtolico. Nihilominus curam ei animarum concedit, & cum ingenti ſcandalo eum tolerat. Nempè non eſt Sacerdos ille addictus rigidiora ſectantibus.

ARTICULUS VII.

OMnium tam Hæreticorum quam Catholicorum ludibrio Clerum ſuum expoſuit Vicarius Apoſtolicus, dum in Diſtrictu Helmondano Diœceſis Silvæducenſis Decanum Paſtorum conſtituit Paſtorem quemdam, poſtquam eodem Menſe Maio 1692. propter diſtributionem ſcripti cujuſdam anonimi pro pœnitentia impoſuerat ut flexis genibus veniam precaretur coram pluribus Sacerdotibus Congregatis in pago Roda S. Odæ, vulgò ſint Ooden Roy, quam ſubmiſſionem veniæque precationem Paſtor ille coram Communitate ſua declaravit fuiſſe exaltationis ſuæ cauſam. Quam aliunde huic Officio ob defectum

ſectum judicij ac ſcientiæ ſit inidoneus, publicum eſt ex ejus Epiſtolis, quas ultra crepidam pro defenſione Cleri contra Regulares conſcripſit. Cum tamen ipſa Synodus prima Buſcoducenſis, quam nuper Dominus Vicarius edidit, diſertè præcipiat de Archipresbiteris Cap. 1. *Quoniam Synodus Provincialis Mechlinienſis Epiſcopis conprovincialibus præſcripſit, ut pro ſua diſcretione Archipresbyteros aſſumerent, qui poſſent Paſtoribus conſilio & exemplo prodeſſe, qui non pluribus præficerentur Eccleſiis, quam commodè poſſent regere* &c. Et cap. 3. *Et quoniam dictos Archipresbyteros tamquam noſtros in ſuo quemque Decanatu Vicarios conſtituimus: idcirco volumus eos ab omnibus ſibi ſubditis honorari & in Eccleſiis Parochialibus primum ſemper locum obtinere veluti Paſtorum & totius Cleri ſui Diſtrictus Paſtores.* Quam appoſitæ hæ qualitates conveniunt prædicto Paſtori? Nihilominus in partibus Hæreticorum, prætermiſſis dignioribus, eum Decanum, ſeu in Diſtrictu Helmondano ſuum Vicarium conſtituit Ampliſſimus D. Vicarius Apoſtolicus.

ARTICULUS VIII.

INgens ſcandalum præbent toti Belgio & Diœceſi Silvæducenſi ſequentia dogmata Domini Vicarij Apoſtolici de peccato fornicationis: 1. *Fornicatio non eſt gravius peccatum quam voluntaria ebrietas.* Cui pro declaratione addit ad art VIII. ſibi objectum: *quod ſi utraque inter ſe conferri debeant*

beant juſtâ lance, dixi per ſe atque ut communiter ſit, ebrietatem eſſe graviorem.

2. *Viſcoſitatem fornicationis V. G. ſed nondum verſæ in conſuetudinem melius curaveris citâ abſolutione, quam aliquorum dierum dilatione.* 3. dogma: *Sacerdos in fornicationem lapſus horâ quintâ matutinâ, celebrare poteſt horâ ſeptimâ, ſi alias plebs die Dominicâ ſacro fruſtranda foret.* Planè hæc conformia ſunt duabus regulis quas tradit Theſi Sabbatinali 4. Februarij 1690. quarum prima eſt: *Hodiè abſolvit Eccleſia ordinariâ lege immediatè poſt Confeſſionem, ita ut per accidens ſit, quod quandoque aliter facere compellatur.* Secunda eſt, quòd regulariter & ordinariâ lege rectè abſolvatur confeſſus, *etſi,* inquit, *recens ſit à peccato commiſſo. Nec quidem conſultum eſt peccatoribus Confeſſionem differre velle, uſque dum apud ſe egerint pœnitentiam, ſtatim potius peccata ſua ad Sacerdotem deferant, qui faciat & ordinet quod viſum fuerit*, ſcilicet juxta Regulam priorem ordinariâ lege abſolvat V. G. horâ ſeptimâ confitentem fornicationem factam horâ quintâ, cum nequidem conſultum ſit Confeſſionem diutius differe.

Quam ſcandaloſa ſit toti Belgio hæc Doctrina de levitate fornicationis & facilitate illam abſolvendi, patet partim ex eo, quod notum ſit, quam leve peccatum à pleriſque in Belgio iudicetur ebrietas, quanto ergò levior eis erit fornicatio, dum docentur à ſuo Vicario Apoſtolico

ebrietate? partim quia non à longo tempore varias ſuorum Sacerdotum publicas cum magno ſcandalo fornicationes & impudicitias coacta eſt Diœceſis Silvæducenſis ſpectare & lugêre etiam in partibus Hæreticis.

ARTICULUS IX.

CIrca Maium anni 1692. Dominus Vicarius peragravit per plures ſeptimanas totam penè Diœceſim Silvæducenſem & exegit paſſim ſive directè ſive indirectè prætextu viſitationis à Communitatibus minoribus duos duccatones ſibi, & medium duccatonem ſecretario ſeu famulo, duplum verò ſibi à Communitatibus majoribus V. G. Tilborgh aliiſque ſimilibus, & hæc quidem ultra omnes expenſas in hoſpitiis ſuas & Conſortij & equorum, quæ variis locis ad ſummam non parvam aſcendebant. Multi Paſtores ſolvebant liberaliter, tum quod aliqui non ſatis benè ſibi conſcij ſperarent ita pœnas vexaſque redimere: tum quod gratiam favoremque Domini Vicarij ad diſpenſationes aliaque ſæpè utilem & neceſſarium viderentur poſſe emere: tum denique ut contribuerent ad viaticum peregrinationis ad limina Apoſtolorum ſeu itineris Romani, quod Dominus Vicarius tunc publicabat inſtare. Facilè colligas magnam inde eum pecuniæ vim reportaſſe, cum Diœceſis Silvæducenſis præter Eccleſiam Cathedralem & varias ejus Parochias ſicut in Synodis

dis ejus nuper editis videri poteſt,habeat centum & nonaginta & unum tum oppida, tum pagos & varios quidem in quibus ſunt plura millia communicantium.

Quam grave ſcandalum, quantam obloquiis anſam tam Catholicis quam Hæreticis præbuerit hæc auri ſacra fames ex eo collige 1 Quod Illuſtriſſimus Dominus Baſſery Prædeceſſor numquam ejuſmodi exactionem fecerit. 2. Quòd Majoratus Silvæducenſis vehementer ſit exhauſtus tum diuturno bello Hollandorum, tum variis locis Contributionibus Gallorum, tum ſuſtentatione Miniſtri Hæretici, & Paſtoris Catholici; quibus omnibus novum gravamen addebat Dominus Vicarius. 3. Quia hæc pecuniarum prætextu viſitationis collectio directè repugnat Tridentino ſeſſ. 24, de Reformatione cap.3. & ejuſmodi exactiones damnarunt pariter Archiduces Albertus & Iſabella Anno 1605 in Ferdinando Archiepiſcopo Biſuntino in Burgundia, ut latiùs videre licet in deciſione 119. Senatus Dolani apud Grivellum Sequanum. Cæterùm neque Paſtores à peccato excuſari poſſunt,qui in hac contributione Ampliſsimo Domino obſecuti ſunt aut deinceps obſequentur, ut facilè ex prædictis colligant.

ſacro facere nata ſunt. Quî enim Sacerdos ſeverius aliquid & pro merito ſtatue in hominem pœnitentem, qui quotannis aut ſæpius manus ejus tam liberaliter inaurat? Jam meritò exclamet Stejartius ſicut concl. 67. in 110. prop.: *Quid non mortalia pectora cogis auri ſacra fames! ſacra, inquam, quia in pectoribus ſacris & rebus ſacerrimis.*

ARTICULUS X.

DOminus Vicarius per Secretarium ſuum vel jubet, vel permittit paſſim exigi pro ſingulis dimiſſorialibus ad Tonſuram, & ad ſacros Ordines medium pattaconem vel amplius directè contra Tridentinum ſeſſ. 21. de Ref. cap. 1. Cùm prædeceſſor Illuſtriſſimus Baſſery ſæpius diſertè prohiberet & famulis ne aliquid reciperent & ordinandis ne aliquid darent. Inſuper de hac materia Theſi ſabb. 29. Aprilis 1690. defendit ſequentia: *Tridentinum taxavit quid pro teſtimonialibus Ordinum peti poßit. Latitudinem illud habet ſuam pro conditione temporum & locorum. Neque nimis facilè hic quærenda ſimonia.* Præterea ex frequentibus diſpenſationibus, inſtitutionibus, aliiſque id genus non parum ſibi auri eliquat.

ARTICULUS XI.

NOn magnoperè hæc auri ſacra fames miranda eſt in D. Vicario: Cùm 1. parte Aphoriſmorum

morum diſp. 32. §. 7. doceat ſequentia: *Senium, fœminarum, Eccleſiaſticorum, hoc eſt huic vitio magis obnoxiorum tenacitas & cupiditas, ſi de cætero neque injuriam faciant, neque eleëmoſynam negligant, ſæpè tantum eſt venialis.* Quæ doctrina excuſans paſsim à mortali avaritiam Eccleſiaſticorum, dum neque injuriam faciunt, neque eleëmoſynam negligunt, rurſus non minus toti Clero periculoſa & ſcandaloſa eſt, quam ſuperior de fornicatione. Quaſi verò tum in pauperrimis etiam Eccleſiaſticis nequaquam ad eleëmoſynam obſtrictis, tum in aliis ditioribus affectus avaritiæ nequeat eſſe conſummatus & mortalis, dum abeſt injuria & eleëmoſynæ neglectus? affectus de quo ſapiens Eccli 10: *Avaro autem nihil eſt ſceleſtius: nihil eſt iniquius quam amare pecuniam.* Quantò pejor hic affectus in Eccleſiaſtico.

ARTICULUS XII.

CONſtat Clerum Sæcularem in Civitate & Majoratu Silvæducenſi hodie iniquiſsimè lædi à Regularibus eorumque Aſſentatoribus, altè ubique clamantibus Clerum Sæcularem tantum ſtudere crumenis & ditandis Conſanguineis, at-

de quo plura citata ſunt in refutatione Capitis 20. Epiſt. Paſt: Quis non videat ſimilibus contra Clerum Sæcularem convitiis maximam præberi anſam à Capitis Cleri Silvæducenſis cupiditate? Quis rationem non agnoſcat, cur D. Vicarius Libellum illum ſtudiosè committentem Clericos Sæculares cum Regularibus toleret cum ingenti Diœceſeos detrimento? cur non audeat proſcribere, & flammis, quas indubiè meretur, adjudicare?

ARTICULUS XIII.

DOminus Vicarius in ſua Exegeſi Cap. 54. duas tertias partes eorum quæ in Diœceſi Silvæducenſi dantur pro lacticiniis ſtatuit exemplo Synodi Mechlinienſis applicandas novo ſuo Seminario. *In quem finem*, inquit, *DD. Decanorum & Paſtorum auxilium pro re tam ſancta & utili in Domino imploramus.* Scilicet ut liberaliter contribuant pro Seminario erigendo in Collegio S. Annæ Lovanij re tam ſancta & utili, quod nemo de Seminariis negat dum debitâ diſciplinâ, formâ & loco inſtituuntur. Interim Dominus Vicarius Lovanij digniſſimos ſuæ Diœceſis Theologos, meliori loco quam in Seminario ſine ullo Diœceſis gravamine enutritos, gratiſſimoſque aliis Epiſcopis, è ſua Diœceſi, & tres quidem promotos in prima linea uno penè anno quantum in ipſo eſt abjicit nempè ſupradictum Dominum Hollen, Dominum Cornelium Verſchuren

primum

primum Univerſitatis, & Dominum Amandum Verſchuren fratrem prioris, qui conſiderans modum quo Dominus Hollen & frater excepti fuerant, maluit ad aliam Diœceſim tranſire quam hujuſmodi Vicario ſervire: cujus exemplum plures alij ſtatuunt imitari. Nihilominus adhuc Paſtorum ſubſidia & pecunias Seminario ſuo in Domino implorat Dominus Vicarius.

ARTICULUS XIV.

POſt graviſſimas lites & diſſidia in Civitate Cathedrali Silvæducenſi inter Regulares & Dominum Plebanum occaſione jurium Parochialium Illuſtriſſimus Dominus Baſſery jura Domini Plebani determinavit aſſeruitque publico decreto ex commiſſione S. Congregationis. Verum poſt diſceſſum Illuſtriſſimi Domini Baſſery ad Cathedram Brugenſem Stejartius permiſit decretum Domini Prædeceſſoris & jura Domini Plebani iniquè à Regularibus invadi, ſperni & calcari cum ſumma injuria S. Congregationis & Illuſtriſſimi Brugenſis & Domini Plebani totiuſque Cleri ſæcularis in Diœceſi Silvæducenſi; ſed cum cauſa hæc ad ſacram Congregationem delata

ARTICULUS XV.

Lacrymis digna eſt Tragœdia quam in oppido Eyndhovienſi peregit Dominus Vicarius. Hîc ad curam Paſtoralem D. Sleuwens promotus erat ab Illuſtriſſimo Domino Baſſery, ſub quo antea in Parochia de Tongelre per decem annos Paſtorem & novem annos Diſtrictus Helmondani Decanum egerat per gratiſsimam Domino Baſſery officij ſui adminiſtrationem; ita ut eum ideò ad curam ſublimiorem oppidi Eyndhovienſis promoverit. Hic iniquè vexari cœpit à quibuſdam Laicis Catholicis in Paſtoris ſui depoſitionem conſpirantibus, quibus poſt diſceſſum Illuſtriſsimi Brugenſis aurem & manum præbuit Dominus Vicarius Stejartius. Verum ut totam Tragœdiam exiſtens Eyndhoviæ ingenioſè, ut putabat, & glorioſè abſolveret, invitat blandè Dominum Paſtorem Sleuwens ad Convivium apparandum expenſis Parochiæ in taberna ſub ſigno Coloniæ, quo plurimi ex utraque parte ex adverſariis & ex amicis Domini Paſtoris conveniebant. Epulantur & bibunt hilariter quamplurimas ſanitates vino Rhenano generoſo & optimo, etiam præbibente Domino Vicario, quem non ſequi, ut habet deplorandus Belgij mos, bonus Paſtor non ſatis honeſtum putabat. Poſt convivium & ſanitates ſubitò Dominum Paſtorem urget coram adverſariis ad examen pro cognoſcenda ejus capacitate, vel potius exequenda

ejus

ejus depoſitione quæ ante ſanitates & examen decreta erat.

Hic quaſi fulmine perculſus rogat inducias uſque manè, dum ſanitates edormiat. Sed inſtat Dominus Vicarius ut ſe ſubdat examini: reſpondet die craſtinâ libenter ſe ſubditurum. Sed fruſtra: jam vult, jam jubet Dominus Vicarius jam ſe ſubdat examini Ergò coactus acquieſcit. Examinatur coram ſuis adverſariis multum conſternatus tum præviis ſanitatibus, tum repentino Domini Vicarij imperio, tum maximè adverſariorum præſentiâ & inſultatione, ita reſpondet ut penè neſciret ipſe, quid diceret: mox ſecundum allegata & reſponſa convivali tempore, convivali ſententiâ quâ non cuperet Paſtor vel abſolvi, Dominus Vicarius examinatum condemnat, declarat Paſtoratus Eyndhovienſis incapacem, prohibet illi ſub pœnâ ſuſpenſionis functiones omnes paſtorales: alium conſtituit præſentatum à Parochi adverſariis deſervitorem. Mox volat fama hujus Tragœdiæ per totum oppidum & loca vicina omnia plaudentibus altè adverſariis, nec minus altè querentibus Paſtore & amicis ſic Sacerdotem tractari, qui à quindecim annis ab Ampliſsimo Domino Vicario Houbraecken fuerat approbatus ad functio-

vienſem, imò cui Dominus Vicarius Stejartius adhuc Officium Archipresbyteri ſeu Decani relinquebat poſtquam eum à Paſtoratu dejecerat.

Poſt dies aliquot incipit Stejartius videre quod fecerat, quam ingentem ignem incenderat: quaſi facti pœniteret, ſollicitat adverſarios ut poſsit cum novo deſervitore ſimul D. Sleuwens in Paſtoratu Eyndhovienſi confirmare, ſed illis nequaquam acquieſcentibus (ſcit enim Dominus Vicarius quale in pago Geſtel ab eis reſponſum retulerit) non auſus eſt dejectum Paſtorem reſtituere, interea partibus creſcunt odia per totum oppidum diſſidia & furor eouſque, ut quidam ſtans pro Paſtore antiquo alium ex adverſariis occiderit, qui in octava Venerabilis anni 1691. dicebatur cucurriſſe ad Officialem Hæreticum ut D. Sleuwens in ſacrificio apprehenderet.

Bonis omnibus expendendum relinquo, quantum occaſione convivalis ſententiæ effuſus ſanguis clamorem ubique excitaverit, qualem ſibilum apud Hæreticos, quantam Fidei & Eccleſiæ jacturam attulerit hæc miſerabilis Tragœdia.

Itaque judicent ij ad quos ſpectat, an hæc digna non ſint, quæ eis exhibeantur. Publica ſunt ut ex factis ipſis facilè quiſque poteſt colligere: Plura exhibere poſſem, tum de forma & loco novi Seminarij (nam Seminaria ipſa nemo poteſt non probare) tum de aliis adminiſtrationem Diœceſis Silvæ lucenſis concernentibus. Verum libet videre qualem hæc effectum ſint habitura, & an plura deſiderentur. FINIS.

A01 1470720